

AN  
LIBERI VNITI  
MVTVA INTER SE  
SVCCESIONE HEREDITARIA  
VTANTVR?

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

AVCTORITATE

PRAESIDE

D. AVGVSTO FRIDERICO SCHOTT

PROF. IVR. SAXON. ORDIN. DESIGN. ORDINIS ICTORVM

ASSESSORE ET COLLEGII MINOR. PRINCIP.

SODALI

DIE XXIII. MARTII A. O. R. CIOCCCLXXVIII

H. L. Q. C

DISQVIRIT

GEORGIVS THEODORVS VOGEL

CYGNENSIS MISNICVS.

---

LIPSIÆ

EX OFFICINA LANGENHEMII



*Julius Vol 227*

221 Diss. jur. civ.

35,30



AT  
BIBLIOTHECA VNI  
KUNIA HIER SE  
COMMISSIONE THEOPHILANTHRO  
PITANTIS  
ILLUSTRISSIMO POTORVM ORDINIS  
VICEREGIS  
FRANCO  
FRANCO  
ASSOCIATIONE COLLEGIUM HIERONIMICUM  
SODALIS  
DIE XXIII MARCHII A. M. DC. LXXVIIII  
M. D. C. LXXVIIII  
DIE XXIII MARCHII  
STORGIUS THEOPHILANTHRO  
DIE XXIII MARCHII  
DIE XXIII MARCHII



§. I.

*Instituti ratio.*

**V**nio prolium, qua liberi ex diuersis matrimoniis nati vel nascituri quoad successionem sibi exaequantur, tot involuta est difficultatibus, vt nemini mirum esse debeat, cur eiusmodi conuentionem, etsi ex communi Germaniae more ortam, coniuges inire in variis prouinciis a) expressa adeo lege prohibeantur. Quas singulas nunc recensere, cum nec tempus sit, nec animus, vnā attingam quaestionem, quae ad ipsum ius succedendi ex hoc pacto promanans spectat. Quamquam enim expediti iuris sit, liberos vnitos vtrique parenti succedere, valde tamen dubitatur de iure, quod inter ipsos liberos diuersi matrimonii prolium vnione comprehensos intercedit, *utrum et hi inter se successionis siue legitimae, siue pactitiae commodo gaudeant?* Quod quidem neque omnino affirmare, neque prorsus negare audeo, sed secundum diuersas species et causas varie decidendum arbitror. Tota nempe res eo redire videtur, vt ante omnia distinguatur, vtum de hac liberorum vnitorum inter se successione in ipsa vnione prolium conuenerit, nec ne? Vtraque species separatim a nobis tractanda.

A 2

§. II.

a) Exempla quaedam vide apud Ill. SELCHOVIUM in *Elem. Iur. Germ.* §. 487. n. 3.



## §. II.

*De successione liberorum vnitorum inter se: A) Si in ipso pacto unionis prolium de ea nihil conuenerit, et quidem: 1) Extante singulari lege, statuto aut obseruantia.*

Quodsi coniuges vnientes successione ipsorum liberorum vnitorum inter se nullam in conuentione sua mentionem fecerint, videndum, an forte peculiaribus prouinciarum aut vrbi-um legibus vel moribus super hac quaestione aliquid statutum sit. Nam ad haec singularia instituta si respiciamus, alibi liberos vnitos etiam inter se quasi ab intestato succedere, alibi iisdem hoc ius negari, alibi vero nihil certi definitum esse, deprehendimus. Prioris generis est ius *Wirceburgense*, b) obseruato tamen discrimine inter liberos vnitos in bonorum communione adhuc constitutos, (*wann sie gleich von denen Eltern abgetheilt seynd, aber doch ihre Güter noch bey einander in gemein und unvertheilet haben*) et facta bonorum diuisione iterum separatos (*wae-re aber eine endliche Vergleichung aller Güter und Grundtheilung zwischen diesen gleich gemachten Kindern beschehen*) ita quidem, vt illi sibi inuicem succedant, hi vero omni successione iure inter se destituantur. Sed pleraeque leges prouinciales et statuta, quorum indicem PVFENDORFIVS c) exhibet, liberos vnitos a mutua successione plane arcent.

## §. III.

2) *In regula, hoc est, deficiente lege aut obseruantia particulari, ubi: a) De fratribus et sororibus unilatera- libus vnitis.*

Fac vero, nulla lege aut consuetudine normam, secundum quam haec quaestio decidatur, praescriptam esse? An- tum

b) *Landger. Ordn. d. Herzogth Francken Tit. CXIX. § 13. Conf. Io. Ad. L. B. ab ICKSTATT Diss. de unione prolium Ducatus Franconiae statu-*

*zaria, Cap. III. §. XXIX. XXX. in EIVS Opusc. Iurid. T. I. p. 222 seq.*

c) *Vir perillustis Frid. Esaias a PVFENDORF Obseru. Iur. uniu. T. I. Obs. CC. §. LIII.*



tum mutua successio liberis unitis vel semper tribuenda, vel omnino deneganda? Neutrum videtur. Ego potius ad diversam liberorum unitorum conditionem respiciendum esse arbitror. Hi enim aut sunt vero sanguinis vinculo ex vno licet tantum latere iuncti, consanguinei nempe vel uterini fratres, aut plane extranei, qui neutrum parentem communem habent. Illos quidem eadem ratione, ac ius in quolibet loco receptum siue commune, siue particulare fratribus unilateribus in uniuersum successionem ab intestato tribuit, etiam facta eorum gratia unione prolium sibi inuicem succedere, eo certius affirmare audeo, quo minus patet ratio, cur fratribus consanguineis et uterinis ius, quod citra unionem prolium ex vero sanguinis vinculo habebant aut habituri fuissent, ea iniuncta ademptum censeatur. En exemplum, quod rem illustret! Titius post primae coniugis mortem, ex qua duos filios Maevium atque Sempronium susceperat, ad secunda transit vota cum Caia, quae ipsi post unionem prolium factam filium Pamphilum parit. Hi tres Titii filii duplici inuicem iuncti sunt vinculo, cum et sint consanguinei, ab eodem quippe patre geniti, et uniti respectu matris, quae quoad successionis effectum ante unionem soli Pamphilo propria erat. Iam utroque coniuge praemortuo decedit Pamphilus, cui germanos fratres non habenti Maevius atque Sempronius, non quidem quod unione prolium cum eo coniuncti fuerant, sed tamquam consanguinei fratres ita succedunt, quemadmodum eius hereditas germanis fratribus deficientibus, etiam nulla inter Titium et Caiam de diuersi matrimonii prole unienda conuentione facta, ad illos pertinuisset. Contra vero a defuncti Maevii hereditate Pamphilum, quippe unilateralem fratrem, germanus Maevii frater Sempronius ob tritam regulam: *Halbe Geburth tritt einen Grad weiter*, penitus excludit.



b) *De Compriuinis.*

Aliter res se habet intuitu compriuinorum ex diuersis matrimoniis ita oriundorum, ut neuter communem habeat cum altero parentem, qui plane extraneorum loco sibi sunt et manent, quamuis proprii eorum parentes secundis nuptiis iuncti fuerint. Hos nullum sanguinis vinculum ligare, ex quo legitimae successione spes descendat, in aprico est. An vero saltem unio prolium ab eorum parentibus inita, qua aequalia circa futuram cum naturalis parentis, tum vitrici et novercae hereditatem iura omnes nanciscuntur, iisdem mutuae successione ius tribuat? in utramque partem disputari potest. Duplex namque est ratio, quae affirmantem sententiam forte alicui persuadeat. Prima posita est in unione prolium cum adoptione similitudine, et inde ducto agnationis et cognationis effectum. Sed quemadmodum unio prolium ab adoptione longe distat, quod iam RICKIUS, d) primus de hoc argumento scriptor peculiaris, postque eum multo plenius et accuratius b. Ferdin. Aug. HOMMELIUS, e) singulare quondam huius academiae decus, docuit; ita tantum abest, ut inter ipsos liberos unitos vllum verae consanguinitatis ius, quod ante unionem nondum extitit, eiusmodi conventionione producat, ut inter compriuinos unitos ne matrimonium quidem prohibitum sit, nisi forte lex provinciae aut urbis singularis eos nuptiis inuicem contrahendis interdicit, siquidem primarius unionum prolium finis hic esse solet, ut confusio et rixae circa dividendam olim hereditatem parentum inter liberos diuersi matrimonii evitentur, ad quem obtinendum non opus est, ut

com-

d) Iac. RICKIUS in *Tr. de unione prolium*, Cap. IX.e) Ferdin. Aug. HOMMELIUS in *Diss. de genuina unione prolium indole*,

§. XVII.



compriugni vniti sanguinis iure erga se inuicem vtantur, aut mutuae successione spe gaudeant, sed sufficit, eos a vitrico aequè ac a nouerca veris et naturalibus liberis in successione legitima aequiparari. f) Hinc, quae est haud inconcinna RICKII g) obseruatio, huiusmodi conuentiones non etiam *Einbrüderschaften*, sed tantum *Einkindschaften* germanico idiomate vocantur.

## §. V.

*Continuatio*

Alterum idque elegans ex successione Germanicae indole petitur, etsi a se non omnino adprobatum, argumentum pro mutua compriugnorum vnitorum successione perill. PVFENDORFIVS h) suppeditauit, nempe hoc: Si, vt multis visum, ius succedendi ab intestato secundum iuris Germanici regulas ex quodam communionis iure deriuandum sit, consequi, vt liberi vniti, quamdiu in communiōe subsistant nec plena diuisio bonorum, propter quae vnio facta, inter eos contigerit, sibi inuicem succedant, communiōe vero per eiusmodi diuisionem sublata hoc mutuae successione ius demum pereat. Quae ratio magnam videtur habere vim, eandemque *Ordinatio Iudicii Prouincialis Ducatus Franconiae*, cuius §. II. mentionem fecimus, stricte sequitur. Sed cum, recepto imprimis iure Romano, quod in legitima successione moderanda ad solum sanguinis vinculum respici iubet, huius de com-

mu-

f) Conf. Sam. STRYCKIUS in *Tr. de success. ab intest.* Diff. VIII. Cap. VI. §. XIX. et XXV. b. Ferdin. Aug. HOMMELIUS in cit. Diff. §. IX. a PVFENDORF vir perillustis, l. c. §. XVIII. et LII. Io. SCHILTE-RVS in *Praxi iur. Rom. in foro Germ.* Exerc. III. §. XVII. Excell. Christ. Goul. RICCIUS in *Spicileg. iur. Germ.* lib. I. Tit. XXIII. ad §. 438. n. 4.

g) RICKIUS lib. cit. Cap. VII. n. 5.

h) a PVFENDORF l. c. §. LIV.

M. 17. 11. 171



munione, vt successionis ab intestato fundamento, doctrinae vix alius, nisi circa feuda aut praedia auita, ad quae, quia a coniugibus de iis libere disponi nequit, vniones prolium ne quidem pertinent, aut denique circa bona inter coniuges communia vsus esse soleat, lubenter adsentior perill. PVFENDORFIO sic pronuntianti: ex iuris ciuilis, quod hodie sequimur, auctoritate fratres vnitos, etsi adhuc in communione constitutos, inter se ab intestato succedere non posse, nisi consuetudine vel statutis locorum particularibus ita caueatur. Hoc vnum moneo, omnes, qui fratres siue *liberos vnitos* inter se succedere recte negant, *de solis compriuinis* intelligendos esse. Nam *consanguineos et uterinos* fratres vnione prolium comprehensos hereditatem legitimam inter se omnino capere, §. III. demonstraui. Breuiter ac vere rem expresserunt *Statuta Ciuitatis Friburgensis* i) *Brisgouiae* his verbis: *Gemachte kindt erben einander selbst nit, anders dan im fahl der Stiesbüder.*

## §. VI.

*B) Si in ipsa vnione prolium mutua liberorum vnitorum successio definita, et quidem: 1) Vel ita, vt vniti tantum quasi ab intestato sibi inuicem succedant, non interdicta iis aliter de bonis disponendi facultate.*

Haec de successione liberorum vnitorum inter se, quando nihil de ea in ipsa vnione prolium cautum. At cum saepius eueniat, vt haec reciproca successio in ipso pacto, quod coniuges de diuersi matrimonii prole vel iam extante vel futura vnienda pangunt, constituatur, primaria oritur quaestio: An et quatenus ob talem legem adiectam liberi vniti priores (*Vorkinder*) et posteriores (*Nachkinder*) firmo reciprocae successionis iure, quod illis inuitis adimi nequeat, inter se gaudeant?

i) P. III. Tit. IV.



deant? Alii enim tale pactum valere prorsus negant. *k)* Alii partim affirmant, partim negant, secundum diuersam causarum conditionem, in qua tamen constituenda et aestimanda neque conueniunt, neque, si quid video, satis accurate versati sunt. *l)* Missis variis virorum doctorum sententiis, quid ego sentiam, dicam aperte. Scilicet videtur ante omnia finis spectandus esse, quem parentes hoc pacto de mutua liberorum vnitorum successione obtinere voluerunt. Aut enim non nisi hoc conuenit inter parentes, vt liberi vniti, etiam compriugni, instar verorum et germanorum fratrum sibi inuicem quasi ab intestato succedant, si v. c. hanc legem scripserint: *dass selbst die liberi vniti, wenn sich der Fall künftig ereignet, als leibliches Geschwister* (quae verba: *als leibliches Geschwister*, manifesto ad solam successionem, quae ipsa lege fratribus in fratris germani ab intestato mortui bonis defertur, respiciunt) *unter einander sich succediren sollen*: non adempta tamen iisdem de bonis suis aliter disponendi facultate. Aut non solum vni liberorum vnitorum sine vltima voluntate defuncto reliquos heredes esse voluerunt, sed etiam ne hunc successionis a parentibus definitum ordinem testamento aut alio modo mutare liceat, expresse cauerunt. Prius si factum, vni ex vnitis liberis defuncto, quasi germano fratri, reliqui, qui alias vel tamquam compriugni plane non, vel tamquam vnilaterales fratres ex iuris ciuilibus regulis non nisi germanis eorumque liberis deficientibus, et secundum iuris Saxonici praecepta demum post germanos fratres et vna cum eorum liberis eius heredes fuissent, eodem loco, quo germani fratres, quibus sic equiparantur, succedunt, nisi defunctus frater vnitus testata-

*k)* V. c. BESOLDVS ad Ius Würtemberg. Disp. III. Th. 91. et b. HOMMELIUS l. c. §. XIII. licet vterque ex diuersa ratione.

*l)* Conf. STRYCKIUM in *Vsu mod. Pand. ad Tit. de adoption. §. XIV.* et a PVFENDORF l. c. §. LV. LVI.



stamento aut pacto successorio aliud iusserit, quod ipsi vel pro-  
 pterea licebat, quod haec clausula non, vt vnitis liberis libera  
 de rebus suis disponendi facultas adimeretur, sed hereditarii  
 iuris in bonis eorum, qui ab intestato decessuri forent, tri-  
 buendi gratia adiecta esset. Quam successionem non ad sola  
 bona a parentibus vnientibus profecta, sed ad reliqua etiam  
 aliunde quaesita tum pertinere arbitror, quando liberi vniti  
 siue maiores soli, siue minores accedente tutoris auctoritate  
 (nam horum nomine tutor recte consentit, cum ex eiusmodi  
 pacto mutuam liberorum vnitorum successionem stabiliente iis  
 commodum nascatur, nec hac ratione laedi possint, siquidem  
 non de eorum patrimonio diminuendo, sed de hereditate olim  
 mortuorum deferenda agitur) in eam consenserunt. Deficien-  
 te vero liberorum consensu, vel quod iam adulti nollent suam  
 voluntatem huic parentum conuentioni quoad caput de succef-  
 sione reciproca accommodare, vel quod tempore initae vnio-  
 nis prolium nondum extarent, valebit lex de successionem legiti-  
 ma inter eos obseruanda a parentibus scripta, exceptis ta-  
 men rebus, quae ad liberos aliunde, quam a parentibus vnien-  
 tibus, peruenerunt, quo et referenda bona a defuncto paren-  
 te naturali in liberos, quorum alter parens naturalis superstes,  
 facta prolium vnione, ad secundas transiit nuptias, deuoluta.  
 Ratio, cur circa parentum bona, quorum inter naturales et vni-  
 tos liberos aequaliter olim diuidendorum causa vnio facta, hu-  
 iusmodi conuentionem vel citra liberorum consensum valere di-  
 ximus, in naturali libertate, qua rebus suis in alios transferen-  
 dis quilibet legem dicere potest, posita est. At, instas, haec  
 libertas iure ciuili ita restricta est, vt in fraudem legitimae por-  
 tionis, quae hac conuentione citra liberorum vnitorum con-  
 sensum admissa oneratur, ea vti nequeas! Bene et sapienter!  
 At quae, quaeso, iniuria legitimae portioni ita infertur? An,  
 quod sub bonis, circa quae ex parentum mente mutua inter  
 libe-



liberos vnitos successio esse debet, etiam legitima portio, quam quisque eorum a proprio parente sperat, comprehensa? Est, largior: sed hac ratione vlli homini iniuriam fieri, nego. Non laeditur quisquam liberorum vnitorum, cum ob hanc conuentionem pars legitima vna cum reliquis bonis a parente et naturali, et vnito acceptis, vno mortuo ad ceteros fratres vnitos transfertur. Nam poterat, si nollet ea ad reliquos transire, vltima voluntate vel pacto, ne hoc fieret, cavere. Neque hi, ad quos defuncti fratris vniti hereditas, nulla eiusmodi conuentione interposita, pertinuisset, de legitima portione sibi adempta iure conqueri possunt. Nam cum sensus pacti de vnitorum liberorum successione inter se nullus alius sit, nisi vt hi sibi inuicem *instar fratrum germanorum*, hoc est, in eo ordine nec prius, quam in quo lex fratres germanos vocat, heredes fiant, fratres vero germani a descendibus excludantur, et non solum cum ascendentibus iure ciuili concurrant, sed Saxonico etiam his plane cedant, patet profecto, tum, quum liberi vniti inter se succedunt, neminem amplius eorum, quibus ante eos legitima debetur portio, extare. Nec est, quod dicas, vltiores post fratres cognatos, quibus compriugni vniti praeferuntur, laedi, cum omnes, quibus nulla debetur legitima portio, recte et valide spe hereditatis legitimae priuare liceat. Vnde consequitur, nec cognatorum consensu ad hanc conuentionem opus esse.

## §. VII.

*Continuatio.*

Dixi et, ni fallor, probaui, etiam neglecto consensu ipsorum liberorum vnitorum futuram inter eos successionem ab intestato circa bona a parentibus vnientibus in eos profecta definiri posse. Idem vero ius in bonis aliunde quaesitis lo-

B 2 cum



cum habere, propterea negandum censeo, quod nemo rerum alienarum heredem facere potest. Sane, quod nonnulli *m)* a similitudine substitutionis pupillaris cum tali pacto vnioni prolium adiecto, pro huius valore ducunt argumentum, adeo remotum est ab huius quaestionis indole, vt ea inde decidi plane nequeat. Nam siue causam spectes, qua nititur pupillaris substitutio, patriam nempe potestatem, siue eiusdem finem et effectum, qui desinit cum ipsa pubere liberorum aetate, maximum inter hanc substitutionem et pactum de mutua liberorum vnitorum ab intestato successione intercedere discrimen, animaduertes. Scilicet parentes vnientes neque in quosuis liberos vnitos patria gaudent potestate, neque hanc reciprocam successionem pubertate liberorum finiri volunt. Caue igitur, ne substitutionem pupillarem hic subesse, aut successionem mutua liberorum vnitorum, parentum voluntate constitutam, ad bona quoque illorum aduentitia aliter pertinere putes, nisi iisdem consentientibus. Attamen non expresso opus est consensu, sed sicut in aliis negotiis tacitus parem cum illo vim habet, ita sufficere arbitror, si liberi vniti parentum vnientium voluntatem et ipsam vnionem prolium vlllo modo agnoverint, quod fit, dum aut hereditatem parentum secundum vnionis normam inter se diuidunt, aut adeo vnus ex fratribus vnitis defuncti heredes vi pacti vnioni prolium a parentibus adiecti se gerunt. Hoc vero consensu expresso vel tacito a liberis vnitis interposito, horum mutuuum inter se ius hereditarium ab intestato etiam circa bona aliunde, quam a parentibus vnientibus, adquisita tam diu firmum et inconcussum manet, donec vnus vel alter eorum testamento vel alio legitimo modo illud mutauerit. Haecenus quidem de iure, quod obtinet, si ipsa de hereditate sua aliter disponendi facultas liberis vnione prolium haud adempta fuit.

## §. VIII.

*m)* Cf. a PVFENDORF l. c. §. LV.



## §. VIII.

2) *Vel ita, ut liberis vnitis ius de rebus suis mortis causa disponendi restrictum sit.*

Quid vero si parentes in vnione prolium de mutua liberorum vnitorum successione ita cauerint: *Dass selbst die liberi vniti, wenn sich der Fall künftig ereignet, als leibliche Geschwister einander beerben, auch keinem Kinde durch einen letzten Willen oder sonst diese hier verordnete gegenseitige Erbfolge denen übrigen zu entziehen, frey stehen solle?* An liberis vnitis vltimam de bonis suis voluntatem condendi potestas adempta censenda? Ita profecto est, si ipsi liberi in hanc conditionem consenserint. Est enim hic liberorum consensus instar successorii pacti reciproci, quo futuram sibi inuicem detulerunt hereditatem. A pacto vero successorio inuitis iis, quorum interest, recedere mores Germaniae non sinunt. Quis igitur dubitet, liberos vnitos, qui in hanc consensere formulam, omni testamentificatione, quamdiu supersunt fratres vniti, nisi forte hi iure suo sponde cedant, priuatos esse? Quod quidem pactum valore haud destitui arbitror, si loco liberorum minorum tutores vel curatores consensum interposuerint. Nam quamuis tutorum alioquin tanta non esse videatur potestas, vt pupillis liberam de rebus suis post maiorem aetatem adeptam disponendi facultatem adimere valeant, tamen ob vtilitatem, quam liberi vniti ex mutua successione hac lege stabilita sperant, hanc regulam vim suam perdere, et valide tutores ita pacisci putaerim. Hoc tamen largior, ex tutorum consensu non teneri pupillos, si ipsa forte vnione prolium laesos se probauerint.



*Continuatio.*

At non accedente liberorum vnitorum voluntate, num pactum hoc testandi facultatem impediens adeo valeat, vt ab illis nulla mortis causa dispositione mutari possit? quaestio paullo difficilior est, quae propterea omnino neganda videri posset, quod te inuitum libertate, res tuas relinquendi, cui velis, in qua ipsa aliquod mortis solatium esse putatur, priuari leges haud finant. Sed respiciendum ad naturam fideicommissi, quod ex parte tali parentum conuentione continetur. Fideicommissaria namque substitutione testandi facultatem tolli, nemo est, qui dubitat. Quidni vero clausulam vnioni prolium de libertate testandi liberis vnitis mutuae ipsorum inter se successionis gratia auferenda adiectam, eatenus ratam firmamque vel citra liberorum consensum pronuntiemus, quatenus subest fideicommissum? Dixi: *quatenus subest fideicommissum.* Etenim tale non semper in hac conuentione inesse, haud ignoro. Scilicet ea tantum bona, quae a nobis ipsis proficiscuntur, non etiam aliena aliorum fidei ita committere possumus, vt hi etiam inuiti iure de eiusmodi bonis fideicommissariis disponendi priuentur. At cum parentes, ea, qua diximus, ratione liberorum vnitorum disponendi libertatem restringentes, non de rebus tantum propriis, quarum heredes hos esse volunt, verum de aduentitiis quoque liberorum bonis, in quibus illis nulla fideicommittendi potestas competit, cogitent, facile intelligitur, eiusmodi clausulam non omni ex parte, sed non nisi quoad bona, quae ab ipsis parentibus ad liberos perueniunt, fideicommissi vim habere, et liberorum etiam non consentientium voluntates vltimas impedire, excepta legitima portione e naturalium parentum bonis liberis debita, quae, cum absque vilo onere relinquenda sit, fideicommissio

gra-



grauari nequit. Itaque de quaestione proposita sic statuo: Pactum vnioni prolium de mutua liberorum vnitorum inter se successione ita adiectum, vt his libera amplius non sit testamentifactio, valere instar fideicommissi etiam sine horum consensu in bonis ab ipsis parentibus vnientibus profectis, modo legitimae portioni, quae cuique fratrum vnitorum a naturali parente debetur, et liberae horum de quantitate ea comprehensa cum inter viuos tum mortis causa disponendi facultati nihil detrahatur: opus igitur esse, vt in ipsa vnione prolium aut certa bonorum pars sub legitimae portionis nomine a quolibet naturali parente liberis suis naturalibus, relicto iisdem pleno circa eam arbitrio, adsignetur, aut, si ne hoc quidem velint parentes, cautionem, quae a Socino nomen accepit, adhibeant. At circa res liberorum aduentitias nullius plane roboris esse tale pactum, nisi ipsi liberi vniti siue expresse, siue tacite (v. c. si ipsi parentum defunctorum heredes ex vnione prolium, cuius pars haec conditio est, se gerant) suam accommodauerint voluntatem, ex iis, quae de hac specie ex fideicommissorum natura aestimanda diximus, prono fluit alueo.

---



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Diss. jur. civ. 535, 30.